



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

De nominibus Author & causa. c. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

aliquis clare videre ut distincta, quæ re ipsa non differunt: qualia sunt principium essentiali, & notionale, ut eadem disputatione cap. 3. prædictum est: ergo respectu intellectus videtur Deum non datur conceptus vniuoce communis principio notionali, & essentiali. Præterea talem conceptum assignari non posse ab intellectu viatoris, probatur: quia siue viator apprehendat principium essentiali in Deo sub relatione rationis, siue sub conceptu omnino absoluto; cum absoluto, & relationi, seu relationi reali, & rationis conceptus communis nequeat apprehendi; nec principio notionali, & essentiali communis ratio cogitari poterit.

CAPVT V.

Principium analogice, non æquiuoce dicitur de vtroque principio.

Inter eos, qui docent, nomen *Principium*, non prædicari vniuoce de principio notionali & essentiali, controuersum est, utrum æquiuoce, an analogice dicatur. Gabr. loco citato censet, æquiuoce prædicari: ceteri vero omnes allegati affirmant, analogice dici: id quod mihi veto similis apparet. Negare enim non possumus, esse aliquam rationem similitudinis inter vtrumque principium, quare & analogiam aliquam esse, necesse est. Ceterum de quo prius prædicetur, non omnes eodem modo sentiunt. Durandus dixit, perfectius conuenire rationem principij essentialis, quam notionali. Reddit rationem; quia ubi principium producit aliud simpliciter, maior & principalior est ratio principij, quam ubi id, quod producit, non est aliud simpliciter, à principio autem essentiali producit aliud simpliciter, hoc est, aliud natura, & supposito distinctum: à principio vero notionali non producit aliud simpliciter, sed aliud tantum suppositum: ergo magis principalis est ratio principij essentialis in Deo, quam notionalis.

Mihi tamen probatur aliorum sententia, qui dicunt, rationem principij, primo, & magis præcipue conuenire principio notionali, quam essentiali. Optio est S. Thomæ in primum distinct. 29. q. 1. art. 2. in responsione ad quæstionem Marfilij, & Canariensis locis citatis, quia quocunque modo cogitemus rationem principij essentialis, semper intelligitur à nobis per respectum ad creaturas; notionale vero per ordinem ad personas diuinas, & ad originem immanentem. Duplici ergo ratione perfectiori modo concipitur & nominatur à nobis ratio principij notionalis: primum, quia cum ordine & respectu reali ad id, quod producit, essentiali vero cum ordine tantum rationis concipitur: deinde quia modus producendi notionaliter perfectior, & præstantior est eo, quod magis assimilatur productum producenti: tanto enim præstantior est productio, quanto magis simile est productum producenti, hoc autem habet principium notionale. At vero hoc intelligendum est nostro modo concipiendi, nam in re ipsa, cum vtrumque principium idem sit suar prænaturæ cum essentia, vnum non est re ipsa perfectius alio, nec aliquis est conceptus diuersus eorum, sed vno conceptu, & vno nomine significatur videtur Deum, ergo perpetuam maiorem perfectionem potentia, & principij considerauit Durandus ex eo, quod producit aliud simpliciter, & quæ in 1. partem Tom. II.

potius enim ex maiori similitudine producti eam deberet colligere.

Vltimo, ut quæ de nomine, *Principium*, dicendi sunt, concludamus, notandum est ita Patrem, & Filium appellari principium, ut nec Filius dicatur principatus à Patre, nec Spiritus Sanctus ab vtroque. Sic docuit sanctus Thomas in hoc articulo in solutione 2. refert nihilominus idem sanctus Doctor, in opusculo contra errores Græcorum, ca. 1. dixisse Athanasium in Nicæna synodo, Spiritum sanctum non esse imprincipiatum, & in hoc articulo in solut. 2. nomen, *principatus*, reperiri apud Græcos patres. Ceterum vox hæc nec Latinis, nec Græcis vtrata est, ideo ab ea abstinendum commodius esse censo, tamen illam admittat Durandus in 1. dist. 11. q. 2.

CAPVT VI.

De nominibus Author, & Causa.

Hilarius 4. de Trin. non longe ab initio vocat Patrem Filii autorem & hanc vocem admittunt S. Thom. in d. 29. q. 1. art. 1. Caiet. & Canar. in hoc art. quia nomen ita videatur significare rationem principij, ut non denotet causam superiorem. Addit S. Thom. solum Patrem dici autorem filij, quia nomen, *author*, primum principium significare videtur; sed cum idem Hilarius 2. de Trin. dicat, à Patre, & Filio authoribus confitendum esse Spiritum sanctum, non debemus nomen, *author*, in ea significatione usurpare, ut significet solum primum fontem, sed quancunque rationem principij, etiam si sit principium de principio, qualis est Filius. Hoc modo Phæbad. in lib. contra Arrianos post medium, qui habetur 5. tom. Bibl. sacræ Patrem appellat authorē sine authorē.

De Nominibus autem, *causa*, & *causatum*, Græce, *αἰτία* & *αἰτούμενον*, maior est difficultas. Primum autem his vocibus passim Græci sine vlla offensione vtiuntur. Basilij lib. 1. 1. & 4. contra Eunomium, Nyssenus in opusculo, quod putandum non sit, tres Deos dici oportere, Nazianz. in oratione de constitutione Episcoporum quæ est 29. Damasc. 1. de fide ca. 8. & 11. & alibi sepe numero, Theophylactus in ca. 11. 1. ad Corinthios, & alij, quos allegat sanctus Thomas opusculo illo contra Græcos: imo ex Latinis Hilarius 9. de Trin. cum ait, Filium ex patre causam sumere. Hunc etiam esse modum loquendi Græcorum patrum, dicit Concilium Florent. sessione vltima in litteris vniouis. Quocirca Bessarion in oratione pro vnioue, quæ habetur sessione vlt. Concilij Florentini, cum in ea sæpius vltus fuisset nomine causæ, cap. vlt. illius sic ait: Notandum primo quod sancti Doctores orientales, etiam in diuinis vtiuntur nomine *causa*, & *causati* largo modo, non quidem ut limitationem, & dependentiam importat: sed prout emanationem, & productionem à principio, eius quod est à principio significat: & ideo in etiam ad Græcos loquentem his nominibus vsurpasse. Patet nihilominus in eadem oratione ca. 3. Cyrillum Alex. in epist. ad Hermiam, cum occidentales (intelligit Latinos) non admittere in diuinis nomen causæ, & causati. Ex Latinis vero Hilarius 4. de Trin. negat Patrem esse causam Filij, & ut notauit Bessarion, cum latine vox *causa* imperfectionem denotet causati, quod se pendeat ab ea, ut à perfectiori, non est Latino sermone ex

An Filius
vel Spiritus
sanctus p-
sit dici prin-
cipatus.

Pater disti-
tur author
filij & filius
etiam Spiritus
sanctus.

Vox causa
libere vti-
tur Græcis
Trinitate.

Latinis ab
illa abstin-
dum est.

Latino-
rum
Petrus
10-
simonia
declatur.
20.

vocetur vtendum. Interpretes ergo Latini Græcorum patrum, ubi illa vox occurrit melius reddidissent, principium, quam causam. Quod si Ioannes Theolog. Ecclesie Latina in Conc. Florentino sess. 23. & 24. aliquando vtitur nomine latino causæ, id fecit, quia cum Græcis disputabat. Cum vero Augustinus lib. 83. questionum quæst. 16. dicit, Deum æternum esse causam æternæ sapientiæ, & de Trinit. cap. 1. Quod est Deo causa, vt sit, est etiam, vt sapiens sit, causam non usurpauit pro causa reali, aut principio; sed pro ratione, quæ nostro modo intelligendi causa est. Eodem sensu dixit Hieron. in c. ad Ephesios, Deum, qui semper est, neque aliunde habet sui principium, esse originem, & causam suæ subsistentiæ. Quare immerito Aureolus apud Capreolum in 1. d. 29. contendit, patrem dici posse latine causam filij, & filium etiam Spiritus sancti.

Obiectio ex
Arist. testi-
monio.

Sed obijcere posset aliquis Aristotelem, qui 4. Metaphys. cap. 2. dicit in hæc verba, *sitque ens, & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur quemadmodum principium, & causa, &c.* ubi videtur, aut pro eodem accepisse principium & causam, aut saltem ita inter se ea comparasse, vt reciprocarentur tanquam æqualia, quod si ita est, non minus dici potest Pater causa filij, quam principium. Accedit, q. 5. metaph. c. 1. enumeratis multis modis, quibus dicitur principium sub finem capitis subiungit, *Toties autem causa quodque dicuntur, aut vt transferunt alij, totidem autem modis & causa dicuntur*, subdit rationem, omnes namque causa principia, h. e. omnes causæ principia sunt. Et quamuis certum sit nomen Græcum, *ἀρχή*, latine, *causa*, diuinis personis ita recte continere, vt Arist. non dubitaret hoc nomen illis tribuere. si eas cognouisset, nihilominus contendimus, quæcunque ratione etiam à Latinis esse tribuendam, quia ex sententia Aristotelis idem sunt, causa, & principium, & mutuo conuertuntur.

Aliud testi-
monium,
eiusdem.

21.

Quædam
seu
solutio.

Respondent quidam ad primum locum Arist. ibi Aristot. v. *passse causam latiori significatione pro quauis vel minima occasione*: sic autem cum principio conuerit. Verum hæc interpretatio nec est secundum mentem Aristot. primum quia cum statim 7. metaphys. cap. 1. & 2. deberet distinguere principium à causa, sicut commune à particulari cur tam breui spatio tam vario modo usurparet principium? Tum etiam, quoniam eo c. 1. enumerat aliquos modos principij, qui nulla ratione possunt esse causæ, est enim principium, unde quis incipit moueri, vt initium lineæ, at quis dicat, hæc esse causas, aut vlllo modo occasiones? Respondet igitur, ibi solum ostendere Arist. quo pacto vna scientia sit vnius generis obiecti, vt inde colligat, ad eandem scientiam pertinere, tractare de ente, & de vno. Reddit rationem, quia hæc duo naturæ sunt idem, hoc est, ex natura rei non differunt, quia reciprocantur. Cum vero asserit, *Quemadmodum principium, & causa, non affert in exemplum mutue conuersionis, sed identitatis ex natura rei, ob quam ad vnam scientiam vtriusque tractatio pertinet.*

Expositio
posterioris
ex contextu.
22.

Ad secundum molestum esset referre, quæ metaphysici comminiscuntur in expositionem illius loci; mihi vero summopere placuit interpretatio, quam adhibet Alexander Alenf. in illum locum, vt Aristot. dicat præter modos enumeratos cap. 1.

quibus dici solet principium, accipietur totiusmodis, quibus & causa usurpatur, quos enumerat sequenti cap. & sunt quatuor. Quia ratione non dicit Arist. totidem modis dici causam, quibus dicitur principium, cum sit manifestum, latius patere principium, & plurius modis usurpari, sed præter modos enumeratos principij, totidem alijs dici principium, quibus & causa. Hoc autem mihi suadeo primum, quia c. 1. recensens acceptiones principij, non numerauit eas, quibus capitur causa: cum tamen totidem etiam modis principium dicatur, quibus dicitur causa, quos refert c. 2. Deinde hoc pacto recte quadrat ratio illa, quam subdit Arist. *Omnes namque causa principia*: ac si dicat, cum omnis causa sit principium, recte sequitur, totidem modis etiam dici principium, quot etiam dicitur causa: cum tamen non sequatur contra, tot modis dici causam, quot dicitur principium; etiam si omnis causa sit principium, quia principium latius patet, quam causa.

Solum vero superest difficultas in verbis c. 2. quibus videtur Arist. asserere, non totidem modis principium usurpari, quot dicitur causa, sed potius contra, tot modis dici causam, quot principium usurpatur: quod nec verum esse, nec cum ratione, quam subiungit quadrare potest. Hæc tamen difficultas tollitur, si alio modo retum Aristotel. latine vertamus, quam omnes hæc tenus reddiderunt, quæ sane translatio licet noua sit, si tamen textus Græcus eam patitur, ceteris est præferenda. Ex ipso autem textu Græco clarissime eam colligo. Textus enim sic habet, *ἵσαρχὴς δὲ ἡ τὰ ἀρχὰ λέγεται*: ac si verbum pro verbo transferas, *Atque porro, atque causæ, dicitur, (supple) principium; de quo proxime dixerat, unde res primum cognita est, illud quoque principium dicitur.* Græcè *ἀρχὴ λέγεται*. Nunc ergo per singula hanc nostram versionem probemus. Primum quidem particula *ἵσαρχὴς* significat idem, quod latine *æque*, quod alij reddiderunt, *totidem modis*, vel, *toties*, sed admittamus eorum lectionem. Deinde particula *δὲ* continuantis est, & significat idem quod latine, *porro*, ideoque particula *αὐτὴν*, quam omnes interpretes habent, in hunc sensum, quem sepius reddidit, accipiendū est. Præterea particula *ἡ*, quæ vim habet continuationis copulantis, hic debet in alio sensu accipi, quem interdum habet, vt peritilinguæ Græcæ testantur, pro *perinde, atque*, vel pro, *atque*, quæ habent notionem comparantis, & hoc præteritum, quia præcessit particula *ἵσαρχὴς*, quæ significat comparisonem: nempe *totidem modis*, vel, *toties*, vel, *æque*. Adde, quod parsilla *τὰ ἀρχὰ*, videtur, dicat articulus *τὰ*, est in plurali, ac si dicas *hæc causas*, & ita omnes translulerunt: verbum autem *λέγεται* est in singulari, quod nullus interpretum videtur aduertisse, & ita latine verti potius debet, *dicitur*, quam, *dicuntur*. vt omnes reddiderunt: quæ referri debet ad suppositum, quod proxima periodo præcessit, scilicet, *ἀρχὴ*, latine principium, non ad vocem numeri pluralis, *causæ*, nam quæuis nota in numeri pluralis, *causæ*, tamen, quæ in do coniungatur verbo singulari, difficillime, imo hæc regula hoc loco seruaretur, difficillime, imo falsa esset sententia, ideo multo melius est rectè singulare singulariter etiam latine vertere, & ad singulare singulariter etiam latine vertere, & ad transferte sic, *totidem autem modis & causa dicuntur*.

sed ita, toties, vel, aque porro, vel, perinde atque causa, dicitur (supple) principium; aut sine particula, perinde, quod idē est: & eodem verbo vsus fuerat in precedenti periodo, cum dixit ἀρχὴ ἡ γένεσις: hoc est principium dicitur: omnia ergo recte cum nostra versione consonant: quæ cum alijs secum hæerere non possunt.

ARTICVLVS II.

Utrum hoc nomen, Pater, sit nomen propria diuinæ personæ.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen Pater, non sit proprie nomē diuinæ personæ. Hoc enim nomen, pater, significat relationem. Persona autem est substantia indiuidua. Non ergo hoc nomen, Pater, est proprie nomen significatiuum personæ.

2. Præterea. Generans communius est quā Pater. Nā omnis pater est generans, sed non ē conuerso. Sed nomen communius magis proprie dicitur in diuinis, ut dictum est. Ergo magis proprium nomen est personæ diuinæ generans, & genitor, quam pater.

3. Præterea. Nihil, quod secundum metaphoram dicitur, potest esse nomen propriū alicuius. Sed verbum metaphorice apud nos dicitur genitum vel proles. Et per consequens ille, cuius est verbum, metaphorice dicitur pater. Non ergo principium verbi in diuinis potest proprie dici pater.

Præterea. Omne quod dicitur in diuinis, per prius dicitur de Deo, quā de creaturis, sed generatio per prius videtur dici de creaturis, quam de Deo. Verior enim ibi videtur esse generatio, ubi aliquid procedit ab alio distinctum, non secundum relationē tantum, sed etiam secundum essentia. Ergo nomen patris, quod à generatione sumitur, non videtur esse propriū alicuius diuinæ personæ.

Sed contra est, quoque dicitur in psal. Ipse inuocabit me, Pater meus es tu.

Respondeo dicendum, quod nomen proprium cuiuslibet personæ significat id, per quod illa persona distinguitur ab omnibus alijs. Sicut enim de ratione hominis est anima & corpus, ita de intellectu huius hominis est hæc anima & hoc corpus: ut dicitur in 7. Metaph. His autē

homo ab omnibus alijs distinguitur. Id autem per quod distinguitur persona patris ab omnibus alijs, est paternitas. Vnde proprium nomen personæ patris est hoc nomen pater, quod significat paternitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod apud nos relatio non est subsistens persona. Et ideo hoc nomen, pater, apud nos non significat.

Parquet in 1. partem Tom. II.

gnificat personam sed relationē personæ, non autem est ita in diuinis, ut quidam falso opinati sunt. Nam relatio, quam significat hoc nomen, pater, est subsistens persona. Vnde supra dictum est, quod hoc nomen, persona, in diuinis significat relationē ut subsistentē in diuina natura.

Ad secundum dicendum, quod secundum philosophum in 2. de anima, de nominatione rei maxime debet fieri à perfectione & fine. Generatio autem significat ut in fieri. Sed paternitas significat complementum generationis: & ideo potius est nomen diuinæ personæ pater, quam generans, vel genitus.

Ad tertium dicendum, quod verbum non est quid subsistens in natura humana. Vnde nō proprie potest dici genitum vel filius. Sed verbum diuinū est aliquid subsistens in natura diuina. Vnde proprie, & non metaphorice dicitur filius, & eius principium pater.

Ad quartum dicendum, quod nomen generationis & paternitatis, sicut & alia nomina, quæ proprie dicuntur in diuinis per prius dicuntur de Deo, quam de creaturis quantum ad rem significatam licet non quantum ad modum significandi. Vnde & Apostolus dicit ad Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Quod sic apparet. Manifestū est enim, quod generatio accipit speciem à termino qui est forma generantis. Et quāto hic fuerit propinquior formæ generantis, tanto verior & perfectior est generatio. Sicut generatio vniuoca est perfectior, quam non vniuoca. Nam de ratione generantis est quod generet sibi simile secundum formam. Vnde hoc ipsum, quod in generatione diuina est eadem numero forma generantis & geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantum, ostendit, quod generatio, & per consequens paternitas per prius sit in Deo, quam in creaturis. Vnde hoc ipso, quod in diuinis est distinctio geniti à generante secundum relationem tantum, ad veritatem diuinæ generationis & paternitatis pertinet.

Notationes circa Articulum.

Conclusio est, Nomen Pater, est proprium nomen primæ personæ. Circa titulum articuli, notat Caietanus particulam, proprie, vsurpari, ut opponitur communi, metaphorico, & extraneo, quæ omnia examinat sanctus Doctor in articulo. At Thom. Canariensis in primo sensu existimat capi particulam illam; solum enim contendit inuestigare, utrum nomen Pater, conueniat soli primæ personæ, an commune sit, & alijs etiam tribuatur: &

O 3

huc

35.

huc solum spectat ratio S. Thomæ in corpore articuli. An vero hoc nomen proprie, hoc est, absq; metaphora de patre dicatur, colligitur ex ijs, quæ diximus disp. 22. c. 4. ubi etiam ostendimus, an nomina communia Deo & creaturis, ex Deo ad creaturas fuerint derivata: inter quæ de nomine paternitatis differuimus, quam quæstionem disputat hic Caietanus circa solutionem quarti.

Ratio S. Thomæ.

Ratio verò S. Thomæ in hoc articulo est huiusmodi. Nomen proprium cuiuscunque personæ est, quod significat id, per quod illa persona ab alijs distinguitur, sed pater significat id, per quod prima persona ab alijs distinguitur, ergo est nomen proprium illius. Circa quam rationem quaerit Caietanus hoc modo. Aut sanctus Thomas intelligit illud esse nomen proprium, quod formaliter, & distincte significat id, per quod persona distinguitur, aut materialiter tantum, & quasi in potentia, sicut ratio particularis significari solet interdum communi nomine; si priori modo intelligat sanctus Thomas, non est vera minor propositio syllogismi, quia nomen *Pater* est analogice commune creato, & increato, ergo non significat distincte & formaliter id, per quod persona patris distinguitur, sed materialiter, & posteriori illo modo, si vero hoc posteriori modo intelligat, maior est falsa, siquidem illo modo voce etiam communi significari solet id, quod distinguit, ergo ratio S. Thomæ nullo modo probat. Respondet ipse bene, maiorem propositionem intelligendam esse priori illo modo, ita, ut nomen illud sit proprium, quod distincte, & formaliter significat id quo distinguitur persona: minor autem propositio est vera quia licet nomen *Pater*, sit commune analogice creato & increato, tamen cum dicitur nomen proprium diuinæ personæ, ex circumstantijs intelligitur determinatum pro principali significato.

26. Vera eiusdem responsio.

ARTICVLVS III.

Utrum hoc nomen, Pater, dicatur in diuinis per prius, secundum quod sumitur personaliter.

187. 1. dist. in 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen, Pater, non dicatur in diuinis per prius, secundum quod personaliter sumitur. Commune enim secundum intellectum est prius proprio: sed hoc nomen pater, secundum quod personaliter sumitur, est proprium personæ patris, secundum vero quod sumitur essentialiter, est commune toti Trinitati. Nam toti Trinitati dicimus. Pater noster. Ergo per prius dicitur pater essentialiter sumptum, quam personaliter.

2. Præterea. In ijs quæ sunt eiusdem rationis, non est prædicatio per prius & posterius. Sed paternitas & filiatio secundum unam rationem videntur dici secundum quod persona diuina est Pater Filij, & secundum quod tota Trinitas est Pater noster vel creaturæ, cum secundum Basilium accipere sit commune creaturæ, & Filio. Ergo non per prius dicitur pater in diuinis secundum quod sumitur

essentialiter, quam secundum quod sumitur personaliter.

3. Præter. Inter ea quæ non dicuntur se comparatio. Sed Filij comparatur creaturæ in ratione filiationis, vel generationis, secundum illud Coloss. 1. Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ. Ergo non per prius dicitur in diuinis paternitas personaliter sumpta, quam essentialiter, sed secundum rationem eandem.

Sed contra est, quod æternum prius est temporali. Ab æterno autem Deus est Pater Filij, ex tempore autem Pater est creaturæ. Ergo per prius dicitur paternitas in Deo respectu Filij, quam respectu creaturæ.

Respondeo dicendum, quod per prius dicitur nomen de illo in quo saluatur tota ratio nominis perfecte, quam de illo in quo saluatur secundum. De hoc enim dicitur, quasi per similitudinem ad id, in quo perfecte saluatur, quia omnia imperfecta sumuntur a perfectis. Et inde est, quod hoc nomen, leo, per prius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis saluatur, quod proprie dicitur leo, quam de aliquo homine, in quo inuenitur aliquid de ratione leonis, ut puta audacia, vel fortitudo, vel aliquid huiusmodi, de hoc enim per similitudinem dicitur. Manifestum est autem ex præmissis, quod perfectior ratio paternitatis, & filiationis inuenitur in Deo patre, & Deo filio, quia patris, & filij una est natura & gloria. Sed in creatura filiatio inuenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem, cum non sit una natura creatoris & creaturæ, sed secundum aliqualem similitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturæ pater propter similitudinem vestigijs tantum, ut pote irrationalium creaturarum: secundum illud Iob. 38. Quis est pluvie pater? aut quis genuit stillas nris? Alicuius vero creaturæ, scilicet rationalis, secundum similitudinem imaginis secundum illud Deut. 32. Nonne est ipse pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te. Aliquorum vero est pater secundum similitudinem gratiæ. Qui etiam dicitur filij adoptiui, secundum quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum, secundum illud Ro. 8. Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes Aliquorum vero secundum similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident, secundum

secundum illud Rom. 8. Gloriamur in spe gloria filiorum Dei. Sicigitur patet, quod per prius paternitas dicitur in diuinis, secundum quod importatur respectus personæ ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam.

Ad primum ergo dicendum, quod communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu priorum, sed non è conuerso. In intellectu enim personæ patris intelligitur Deus, sed non conuertitur. Sed communia, quæ important respectum ad creaturam per posterius dicuntur, quam propria, quæ important respectus personales: quia persona procedens in diuinis procedit ut principium productionis creaturam. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice, quam artificiatum, quod producit ad similitudinem verbi concepti in mente: ita per prius procedit filius à patre, quam creatura, de qua nomen filiationis dicitur secundum quod aliquid participat de similitudine filij, vel Patris; ut patet per illud quod dicitur Ro. 8. Quos præcuiuit, & prædestinauit fieri conformes imaginis Filij sui.

Ad secundum dicendum, quod accipere dicitur esse commune creaturæ & filio, non secundum vniocationem, sed secundum similitudinem quandam remotam: ratione cuius dicitur primogenitus creaturæ. Vnde in autoritate inducta subditur: Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: postquam dixerat. Conformes fieri aliquos imaginis filij Dei. Sed filius Dei naturaliter habet quoddam singulare præ aliis, scilicet habere per naturam id, quod accipit: ut idem Basilus dicit. Et secundum hoc dicitur vniogenitus: ut patet Ioan. 1. Vniogenitus, qui est in sinu patris, ipse nobis enarrauit. Et per hoc patet solutio ad 3.

Notationes circa Articulum.

Conclusio articuli est Nomen Pater sumptum notionaliter, prius Deo conuenit, quam dictum essentialiter.

Circa titulum articuli notat Caietanus primo, nomen Patris bifariam Deo conuenire; tum notionaliter, cum dicitur Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi tum etiam essentialiter, cum dicitur: Pater noster, & Pater misericordiarum. Secundo notat, non esse questionem, an Deus prius sit Pater Filij sui, quam Pater creaturarum, sed an ratio paternitatis hoc nomine significata, prius Deo conueniat intra se, quam extra. Tercio, inquit, quamuis ex argumento, sed contra, colligi videatur, particulam, prius; significare proprietatem vniuersalem; ex corpore tamen articuli deducitur directe solum Vazquez in l. partem To. II.

sermonem esse de prioritate secundum naturam ordinem, ut sensus sit, an ratio Patris hoc nomine significata, quæ personalis est, sit naturæ ordine prior, quam ratio eiusdem essentialiter dicta. Quare nonnulli Thomistæ mentem Doctores sancti non videntur assecuti, intelligentes ipsum fuisse locutum de prioritate perfectionis: cum enim S. Thom. ut probet Patrem notionaliter dictum priorem esse patre essentialiter dicto, assumit Patrem notionaliter perfectius dici, quam essentialiter, prioritate perfectionis non inferre, & probat: sed ex illa prioritate natura colligit.

Quomodo autem Pater notionaliter dictus sit prior ordine naturæ, quam Pater essentialiter, optime explicat Caiet. & Canariensis in hunc articulum circa solut. 2. ex eodem S. Thom. ibidem. Nam quamuis nomina essentialia, & communia priora sint nominibus notionalibus, prioritate quasi vniuersalis, sicut animal dicitur prius homine, hoc tamen intelligitur de ijs tantum, quæ non significant relationem ex tempore ad creaturas, sicut nomen, Pater & Dominus significat: imo illa, quæ significant relationes ad creaturas, non ex tempore, sed ab æterno, talem quidem, quæ Deo posset non conuenire, ut scientia visionis, & prædestinatio, etiam si communia sint, & essentialia; tamen ordine naturæ posteriora sunt. An vero actus intellectus, ut terminatur ad creaturas possibiles, prior sit, quam verbi productio, & actus, quo diligit creaturas, prior quam Spiritus sancti processio, dicemus disputat. 143.

Ceterum Canariensis in hunc articulum, quærit, an nomen, Pater, vniuoce Deo conueniat, quatenus est Pater essentialiter, & notionaliter Respondet ipse, non prædicari vniuoce, quia sicut à filio æterno, & creaturis non potest abstrahi ratio communis filij, nam creaturæ non producantur à Deo generatione, à principio scilicet coniuncto in similitudinem naturæ, quæ est ratio filij sumpta ex generatione proprie, sic etiam nec ratio Patris respectu filij æterni, & creaturarum communis esse potest. Hanc solutionem adhibet Canariensis, quia putat solutionem S. Thomæ, quæ est ad secundum, non satisfacere argumento: cum tamen ab ea non differat. Addit idem Canariensis, nomen, Filius, æquiuoce prædicari de filio æterno, & creaturis: idem docet, de nomine, Pater, respectu patris notionaliter, & essentialiter. Reddit rationem, quia non datur communis conceptus utriusque, ut probatum est quasi, vero in analogis vnus conceptus communis significatus ea voce possit assignari. Verum ex S. Thoma in solut. 2. colligitur analogice prædicari: nam licet non detur communis conceptus, quod etiam in analogis contingit, ut disp. 114. c. 2. diximus: quia tamen vna filiationis significatur per similitudinem ad aliam, & metaphorice, idè nomina hæc analogice prædicantur. Creaturæ enim dicuntur filij Dei, non proprie, sed metaphorice per similitudinem ad verum filium, qui generatur à principio intrinseco: ergo aliqua in illis est nominis analogia.

ARTICVLVS VI.

Utrum esse ingenuum sit Patri propositum.

188.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod esse ingenuum non sit patri proprium.

Q 4

1. d. 13. ar. 4.
Et d. 26. q. 1.
artic. 1. Et
opus, x. c. 2.

proprium. Omnis enim proprietas ponit aliquid in eo, cuius est proprietas. Sed ingenuus nihil ponit in Patre, sed remouet tantum. Ergo non significat proprietatem Patris.

2. Præterea. Ingenuus aut dicitur priuatiue, aut negatiue. Si negatiue, tunc quicquid non est genitum, potest dici ingenuus. Sed Spiritus sanctus non est genitus, neque etiam essentia diuina. Ergo ingenuus etiam eis conuenit: & sic non est proprium Patri. Si autem priuatiue sumatur, cum omnis priuatio significet imperfectionem in priuato, sequitur, quod persona Patris sit imperfecta. Quod est impossibile.

3. Præterea. Ingenuus in diuinis non significat relationem, quia non dicitur relatiue: significat ergo substantiam. Ingenuus igitur, & genitus secundum substantiam differunt. Filius autem, qui est genitus, non differt à Patre secundum substantiam. Pater ergo non debet dici ingenuus.

4. Præterea. Proprium est, quod uni soli conuenit. Sed cum sint plures ab alio procedentes in diuinis, nihil videtur prohibere quin etiam sint plures ab alio non existentes. Non igitur est proprium Patri esse ingenuus.

5. Præterea. Sicut pater est principium personæ genitæ, ita & personæ procedentis. Si ergo propter oppositionem quam habet ad personam genitam, proprium patris ponitur esse, quod sit ingenuus, etiam proprium eius debet poni, quod sit improcedibilis.

Libr. 4. de Trinit. non multum remouet à fine libr.
Sed contra est, quod dicit Hilar. 4. de Trinitat. Est vnus ab vno, scilicet ab ingenuo genitus: proprietate videlicet vnoquoque & innascibilitatis, & originis.

Respondeo dicendum, quod sicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium secundum: ita in personis diuinis, in quibus non est prius, & posterius, inuenitur principium non de principio, quod est pater, & principium à principio, quod est filius. In rebus autem creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter. Vno quidem modo, in quantum est principium primum, per hoc, quod habet relationem ad ea, quæ ab ipso sunt. Alio modo in quantum est primum principium, per hoc, quod non est ab alio. Sic igitur & pater innotescit quidem paternitate, & communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes. In quantum autem est principium non de principio, innotescit per hoc, quod non est ab alio. Quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen, ingenuus.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam dicunt, quod innascibilitas, quæ significat hoc nomen, ingenuus, secundum quod est proprietas patris, non dicitur tantum negatiue, sed importat vel vtrumque simul, scilicet, quod pater nullo est, & quod est principium aliorum, vel importat vniuersalem auctoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum: quia sic innascibilitas non esset alia proprietas à paternitate, & spiratione, sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas, & auctoritas nihil aliud significant in diuinis, quam principium originis. Et ideo dicendum est secundum August. in 5. Trinit. quod ingenuus negationem generationis passiuæ importat. Dicit enim, quod tantum valet, quod dicitur ingenuus, quantum valet quod dicitur non filius. Nec propter hoc sequitur, quod ingenuus non debeat poni propria notio patris: quia prima & simpliciter per negationes notificantur. Sicut dicimus punctum esse, cuius pars non est.

Ad secundum dicendum, quod ingenuus quandoque sumitur negatiue tantum. Et secundum hoc Hieronym. dicit non Spiritum S. esse ingenuum, id est, non genitum. Alio modo potest dici, ingenuus aliquo modo priuatiue, non tamen aliquam imperfectionem importat. Multipliciter enim dicitur priuatio. Vno modo, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab alio, etiam si ipsum non fit natum habere illud: sicut si lapis dicatur res mortua: quia caret vita, quam quædam res nata sunt habere. Alio modo dicitur priuatio, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab aliquo sui generis, sicut si talpa dicatur cæca. Tertio modo, quando ipsum non habet, quod natum est habere. Et hoc modo priuatio imperfectionem importat. Sic autem ingenuus non dicitur priuatiue de Patre, sed secundo modo, prout scilicet, aliquod suppositum diuinæ naturæ non est genitum, cuius tamen naturæ aliquod suppositum est genitum. Sed secundum hanc rationem etiam de Spiritu sancto potest dici ingenuus. Vnde ad hoc, quod sit proprium soli Patri, oportet vltimus in nomine ingenui intelligere, quod conueniat alteri personæ diuinæ, quæ sit principium alterius personæ, ut sic intelligatur importare negationem in genere principij personaliter dicti in diuinis. Vel, intelligatur in nomine ingenui, quod omnino non sit ab alio, & non solum quod non ab alio per generationem. Sic enim

nec Spiritui sancto conuenit, esse ingentium: qui est ab alio per processionem ut persona subsistens: nec etiam diuinæ essentia, de qua potest dici, quod est in filio, vel in Spiritu Sancto ab alio, scilicet à Patre.

Ad tertium dicendum, quod secundum Damasc. Ingenitum vno modo significat idem quod increatum, & sic secundum substantiam dicitur. Per hoc enim differt substantia creata ab increata. Alio modo significat id, quod non est genitum. Et sic relatiue dicitur eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis: sicut non homo ad genus substantia, & non album ad genus qualitatis. Vnde, cum genitum in diuinis relationem importet, ingentium etiam ad relationem pertinet. Et sic non sequitur, quod pater ingentius distinguatur à filio genito secundum substantiam, sed solum secundum relationem, in quantum scilicet relatio filij negatur de patre.

Ad quartum dicendum, quod sicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in diuina natura oportet ponere vnum principium, quod non sit ab alio, quod ingentium dicimus. Ponere igitur duos innascibiles, est ponere duos Deos, & duas naturas diuinas. Vnde Hilarius dicit in libr. de Synodis. Cum vnus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt. Et hoc præcipue, quia si essent duo innascibiles, vnus eorum non esset ab alio. Et sic non distinguerentur oppositio-nerelatiua. Oporteret igitur, quod distinguerentur diuersitate naturæ.

Ad quintum dicendum, quod proprietas patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem natiuitatis filij, quam per remotionem processionis Spiritus sancti. Tum, quia processio Spiritus sancti non habet nomen speciale, vsuprà dictum est: tum, quia etiam ordinæ naturæ præsupponi generationem filij. Vnde remoto à Patre, quod non sit genitus, cum tamen sit principium generationis: sequitur consequenter, quod non sit procedens processionem Spiritus sancti: quia Spiritus sancti non est generationis principium, sed è genito procedens.

Conclusio est Nomen, ingentium, est proprium Patri. Dicitur autem proprium, ut notauit Cæteranus, prout distinguitur i. communi: quia ita conuenit soli patri, ut nec alteri personæ, nec lutione. 2.

DISPUTATIO CXL.

Quomodo nomen, ingentium, sit proprium personæ Patris.

Nomen ingentium quondam patribus fuisse suspectum, cap. 1.

Multo postea nomen ingentium fuisse à Patribus receptum, ut Patris significarent notionem, cap. 2.

Nomen ingentium non solum negationem denotare, c. 3.

CAPVT I.

Nomen ingentium quondam Patribus fuisse suspectum.

VOX Græca ἀγένετος Latine, ingentium, significat idem quod increatum, & minime factum, qua voce Arriani Patrem æternum malitiose appellant, non quod ille increatus non sit, sed ut filium opposita voce γένετον, hoc est creatum, & factum nuncuparent: & ut probarent filium non esse *ὁμοούσιον* Homousion, hoc est eiusdem cum Patre substantia, vtebantur hoc argumento. Genitum & ingentium, hoc est, creatum & increatum natura differunt: atqui Pater est ingentius, filius autem est genitus: ergo substantia & natura differunt. Ideoque nonnulli Patres hanc vocem suspectam habuerunt, ut Dionys. Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum, quam habet noster Francisc. Turrian. in sua Haplothea nondum typis excusa in principio. Reddit autem rationem Dionys. his verbis, *Ingentium Patrem nulla scriptura tradidit*. Cæterum ut notat ibid. Turrianus num. 13. illud dixit Dionysius, non quod sensu Catholico negaret Patrem ingentium esse, sed contra Paulum Samosatenum, qui eo nomine ut Arrianus utebatur; & sicut Patrem ingentium, sic Christum genitum appellabat; ut ostenderet, esse recentem, & creatum: nam purum hominem eum esse asserbat.

Eodem modo rejicit Athanasius nomen ἀγένετος in in dialogo orthodoxi & Anomœi, quod Anomœi eadem de causa, qua Arriani, ea voce uterentur: rejicit autem, quia in scripturis nullam habeatur, & pijs auribus non recte sonet, cumque Anomœus instaret, an dicendus esset Pater γένετος? respondet Orthodoxus, nequaquam; ob id tamen non esse dicendum ἀγένετος sicut quamuis Deus non dicatur credens alicui, non ideo dici potest incredulus, vel non credens, quia hæc verba male sonant.

Eadem ratione hanc vocem rejicit Athanas. & malitiose ab Arrianis introductam fatetur in epist. de decretis Nicenæ synodi aliquantulum ante finem & in orat. 2. contra Arrianos, circa medium, ubi ait, Ego enim ab ethnicis didici rō ἀγένετος id dicit, quod nondum factum est, fieri tamen potest, ut lignum, quod nondum abijt in formam scaphe, tamen ibidem & Catholicam significationem subiungat, & in eo sensu vocem admittat, ut infra referemus, dicit tamen interrogandos esse hæreticos, in quem sensum loquantur, ut videamus, an vox illa admitenda sit.

Porro ex Latinis Patribus Ambrosius libro de dominicæ incarnationis sacramento, c. 8. & 9. contra Arrianos, qui vocem *ὁμοούσιον* Homousion non admittebant in sacris litteris non haberetur, obijcit vo-

1.
Vox ingenti-
um abutit-
ur Arriani.

Cur Græci
Patres hac
vox fuerit
suspecta.

Hanc vocē
non im-
proba-
bat Ambro-